



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. Vnicus, de Notariorum obligatione & peccatis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

## TITVLVS XIV.

### *De Notariis.*

#### Articulus Vnicus.

##### *De Notariorum obligatione ac peccatis.*

I. **N**otarius dicitur qui auctoritate publica & legitima institutus est, ad scribenda instrumenta & alias scripturas, quæ fidem publicam faciant, quibus quivis in iudicio & extra stare teneatur. In iis requirebatur antiquitus, scientia sufficiens notariatus, fides sive fidelitas cum probitate vitæ & diligentia, verum alia postea addita sunt, nimirum: ut sint legitime nati, vivacitate sensuum pollentes, hoc est nec surdi, nec cæci, nec muti, ætatis 25. annorum, honestæ famæ, & mediocrum mediocrium, instituti ab habente potestatem, mediante juramento quod sequentia complectitur: Nimirum: quod Notarius de iis ad quæ vocatus fuerit, & quæ personaliter viderit, vel audierit, aut requisitus fuerit absque diminutione veritatis vel admix-

Q 6

tionem

tione falsitatis, aut quavis alteratione veritati repugnante, sua instrumenta integra & non violata faciat. 2. Quod injuncta sibi secreta nemini revelet. 3. Quod de omnibus instrumentis quæ confecerit protocolla sibi servet. 4. Quod de contractu usurario scienter instrumentum non conficiat. 5. Quod absque passione odii timoris vel amoris cum integritate conscientię officium suum administret. Instrumentum vero Notarii ut fidem faciat requirit sequentes condiciones. nimirum: ut invocetur Nomen Domini, & ponatur annus, Mensis, Dies, indictio, Nomen Papæ, Imperatoris, Regis, Principis, respective in terris ipsis subditis: deinde locus contractus, series facti sive actus, testes, quorum etiam erit signare vel notam aliquam adhibere, Notarius vero signet suo ordinario signo, & in subscriptione notet, à quo vel quibus legitime institutus sit notarius, & appareat etiam quod rogatus fuerit: Demum instrumentum debet coram partibus relegi, si etiam partes signent, res magis auctentica erit.

2. Peccant vero Notarii. 1. Si contra veritatem instrumētum faciant, vel illi aliquam falsitatem inspergant, aut alio modo alterent contra integritatem. 2. Si eorum negligentia, ignorantia aut Malitia, aliquis error contra substantiam instrumenti irrepāt. ut: in Nomine, Die, substantia contractus, convocatione testium. 3. Si infidelitatem aliquam committant revelando secreta, aut dando copias instrumentorum iis quibus non debent. 4. Si cui ex negligentia culpabili, ignorantia vel in fidelitate damnum eveniat, tenentur ad restitutionē.

## TITVLVS XV.

### *De Matrimonio ac Coniugatis.*

#### Articulus Primus.

##### *Quæ fuerit Matrimonij Prima institutio.*

1. **I**Nstitutum est Matrimonium à Deo in statu innocentia, in loco paradisi, ante Adami & Evæ peccatum, in officium naturæ, & propagationem generis humani, illudque in institutione primæva, mul-